



1.
2.
3.
4.
5.
6.

1727

1. Fichtnerus, Joh. Georgius : De Franciscanorum actione
2. Hartmann, Joann. Fictarius : Singularitate salutis
contra consuetudinem observationum ac stylum
curiae latinae.
3. Herbst, Joann. Fictarius : De mineralium medica
- mentorum praesentia
- 4^{n^o} mit Hildbrands, Hermann : De fructibus in alienum
praedium propendentibus . Von Ueberhang der Früchte
3 Bunde . 1727, 1746 = 1747
5. Hildbrands, Hermann : De impulatione soluti
ex pluribus nominibus . Von Anrechnung der Byzah-
lung bei mehreren vorhandenen Schuld. Posten.
6. Kuelern, Fr. David : De bibliotheca Curiae M. Impere-
ratoris Aug. gloriosissimi ad Sigismundi de ortu
ejusdem Capp. XXXIII

- 7^{a. t.}
2. Lincken, Georgus Haarm : *Quaestio abbas habetatur
pro merito . 2 Sent.*
8. Muller, Mathaeus : *De expositione infantum*
9. Ruelh, Ioannes Michael : *De successore in regimine
Vni Regimini - Nachfolger.*
10. Schmidius, Ioannes Fridericus : *De crimine atheismi
etque poena civitatis.*



Q. D. B. V. 2
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICAE
DE

1727, 2
NULLITATE SEN

TENTIAE
CONTRA CONSVETVDINEM
OBSERVANTIAM AC STY
LVM CVRIAE LATAE,

QVAM
ANNVENTE
NVMINIS DIVINI GRATIA

AC
MAGNIFICI
IUCTORVM ORDINIS

AUTORITATE
IN
INCLVTA NORICORVM VNIVERSITATE
PRO
CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE
IVRE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS

AD D. XXVII. IVNII ANNO MDCCXXVII.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
JOANNES FRIDERICVS HARTMANN

HALA-SVEVVS.

ALTOREI, TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

DISSECTATIO INNOVATORIALIS JURIDICAE
DE
INVULNERABILITATE
TENTIAE
CONTRA CONSUEVDINEM
OBSERVANTIAM AC ST
LVM CURIAE LAIAE
ANNVENTE
INVMNIS DIVINI GRATIA
AC
MAGNIFICI
IUDICORVM ORDINIS
AVTORITATE
INCLITA INKICORVM VNIVERSITATE
CONSTOVENDIS SVMMIS IN VTRIQVE
JURE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
AD D. XLIII. JUNII ANNO MDCCXXVII.
H. L. O. C.
P. P. LICO RAPPIDORVM EXAMINI SVBMITTIT
JOHANNES FRIEDERICVS HARTMANN
HALLA-SAEVVS.
NOT ORBI. TYPIS MAGNI DANIELIS HERRMANNI





§. I.



Amosum illud Nullitatis Remedium multis casibus obtinere, nec illum, qui saltem primis Processus Judicialis Rudimentis instructus est, latet, idque quotidiana fere Summorum in Imperio nostro Romano-Germanico, aliorumque Judiciorum praxis satis demonstrat. Cum vero iam alii, inter quos non ultimi, Sebastianus Vantius & Altmarus, integros Tractatus de Nullitate sententiæ conscripserint, ne actum agere videar, non diu inhærebo in recensitione ac recapitulatione totius hujus Nullitatis materiæ, sed tantum generalia illius quædam, ad meliorem thematis hujus inauguralis explicationem necessaria, præmittens, statim me ad ipsum Dissertationis meæ nervum convertam, quantum quidem Juvenilium mearum virium tenuitas, exiguumque temporis spatium, quod mihi ad justam præmeditationem supererit, permittet, *de Nullitate Sententiæ, contra Consuetudinem, Observantiam & Stylum Curie late*, pauca, non ubique tamen, ut credo, obvia, cæterum conscripturus, quem laborem, ut DEVS T. O. M. feliciter cedere jubeat, Eum supplex oro rogoque.

Remedium Nullitatis sæpius & in multis casibus obtinet.

§. II.

Quot modis Sententia possit nulla dici, exponitur.

Sententiæ autem ipso Jure nullæ dicuntur dupliciter vel (I) ratione Personæ & quidem 1. Judicis, v. c. plane incompetentis per *L. un. C. si à non compet. judic.* 2. Actoris, si legitimam in Judicio standi personam non habeat, 3. Rei, si v. c. non legitime fuerit citatus, vel auditus. *cap. Pastoralis. X. de sentent. & re judic.* 4. Procuratoris sc. falsi, si nimirum contra ipsum sententia lata sit, per *L. 24. C. de Procurator. ibique Brunnem.* Vel (II) ratione Processus substantialium, si nimirum sententia lata fuit, non observato legitimo procedendi modo per *L. 4. C. de sentent. & interlocut.* Vel (III) ratione causæ & ejus meritorum, quæ etiam maxima est. *Mev. P. 5. dec. 5. n. 2. e. gr. si sententia contra rem judicatam lata. L. 1. pr. ff. quæ sentent. sine appell.* Item si sententia lata sit expresse contra *Jus clarum Constitutionis in thesi*, hoc est scriptum, aut non scriptum &c. conf. *Lauterb. Colleg. Pand. Practic. ad Tit. Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur. §. 2. & Petr. Müller. ad Struv. h. t. thes. 17.*

§. III.

Inter alios modos annullandi sententiam etiam est, si contra consuetudinem fuerit lata.

Ad hanc autem posteriorem classem, nullitatem involventem thema meæ Dissertationis Inauguralis jure meritoque refero, quod nempe *Sententia contra consuetudinem*, Juris quippe non scripti speciem, *observantiam aut stylium Curie lata ipso Jure sit nulla.* Cum autem ego hæc talia asserens, ea omninò de consuetudine ac observantia, secundum omnia legitima & in Jure nostro Civili præscripta requisita, rite introducta intelligi velim, omnino necessarium existimavi, antequam ulterius in hac mea thesi explicanda ac probanda progrediar, ut prius

prius concisam hujus doctrinae descriptionem tradam, quidque verbo, consuetudinis, observantiae aut stylo Curiae velim, demonstrarem.

§. IV.

Vocabulum *Consuetudinis* in latiori significato sum- Definitio Consuetudinis.
tum mihi nihil aliud est, quam actiones plures uniformes hominum in una societate civili viventium, quatenus in illa societate vivunt.

§. V.

Per *Actiones* non motus animi internos, sed qui ad actus Quid hic sint Actiones?
externos erumpunt, hoc est: Actiones politicas, non morales intelligo.

§. VI.

Dixi *plures*. Unicus enim actus, licet manifestus, Ad consuetudinem non unicus actus sufficit.
notorius, & tractum habeat successivum, non sufficit pari ratione, ac ex una voce harmonia non potest effici. Quot verò praecise requirantur, determinari nullatenus potest, sed omnino arbitrio ac prudentiae Judicis relinquendum, per arg. *L. 1. §. 2. ff. de Jure deliberand.* Gail. *Lib. 2. Obs. 31.* is enim judicare debet, quoniam in Casu & quando duo, tres, plures aut pauciores ad consuetudinem introducendam actus sint necessarii; Minima enim circumstantia hic variat rem, de quibus infra pluribus. In praxi tamen sufficere, si duo probentur actus, & contrarium longissimum non sit observatum, tradit Carpz. *p. 2. C. 3. def. 12. n. ult.*

§. VII.

Ut etiam actus sint *Uniformes*, necessarium est. Actus etiam debent esse uniformes.
Unicus enim actus non similis, totam vitiat introducendam, & quasi initium ac viam sternit, ad novam consuetudinem faciendam arg. *L. f. C. quae sit. long. Consuet.*

A 3

§. VIII. Ho.

§. VIII.

Ad consuetudines hic non actiones bestiarum sed hominum requiro.

Hominum utique non bestiarum actiones debent esse, de quibus posterioribus forte accuratius cum Thomasio in *Disp. d. Consuetudine & Observantia §. 20.* voce assuetudinis quam consuetudinis uti licet.

§. IX.

In familia quilibet paterfamilias dominus morum

Quia etiam hic non sermo est, de Consuetudine singulorum, sed plurium in una societate viventium, inde hac limitatione opus erat, et insimul innuere volebam quemlibet patrem familiam in sua familia, aut aliud quodlibet collegium civile posse pro libitu inter se consuetudinem introducere, & quatenus sc. in illa societate vivunt, etiam ad illam servandam adstringi.

§. X.

Haecenus de consuetudine in genere, nunc de ea, quemadmodum in Jure nostro sumitur.

Haec quidem sufficere possent, quantum ad consuetudinem proprie sic dictam, & quatenus pro singularibus cujusque populi inveteratis moribus accipitur, quia vero mihi de ea primario & nunc principaliter sermo non est, sed potius de Consuetudine juridicè sumta, deque ejus in foro civili effectibus, ad illam autem adhuc alia requisita summe sunt necessaria, illa generali doctrinae, in praecedentibus §§. pertractatae, in subsequenter paucis saltem addere, consultum, imò plane inevitabile duxi.

§. XI.

Ad hanc pertinet tacitus & praesumptus Principis consensus.

Primum requisitum ergo est 1.) Ut actiones illas plures, de quibus in §. 6. habeant approbationem tacitam summæ potestatis, ita ut observatum in istis actibus, in simillimis iidem observandum esse, annuat, & quasi jubeat; Quæ tacita autem voluntas & tacitus jussus in scientia, quæ nec potest, nec debet in rebus, ubi

ubi superioris consensus requiritur, abesse per *L. 2. in pr. ff. de Judiciis*, & libenti permissione, quæ ex actuum frequentia præsumitur; unde pro circumstantiis tot aut Judiciales, aut Extrajudiciales actus & tantum tempus requiritur, quot & quales ad inducendam illam præsumtionem erunt opus. Bartolus, Jason, Faber aliique à Wembecio *ad h. t.* citati quidem affirmant consuetudinem valere, siue eam induci sciat Princeps siue non? Sed respondeo, eo ipso, quo Princeps patitur induci consuetudinem, præsumi ac præsupponi ejus scientia. *L. 2. C. de servit.* ubi Glossa & Dd.

§. XII.

Porro requiritur *rationabilitas l. 1. C. qua sit longa consuet. L. 39. ff. d. LL.* Uti enim Consuetudo & Lex tanquam species & genus considerantur, & ut infra pluribus docebo, maximam connexionem inter se habent; ita etiam de quibus lex valide sancire nequit, de istis nec consuetudo subsistat necesse est. Ideo irrationabilis consuetudo, quæ scilicet contra Jus divinum adhuc obligatorium & naturale aliquo modo impingit, ipso jure nulla est, nullamque vim obligandi habet, sed potius tanquam corruptela, & mali mores, magnam iniquitatem continentem, considerantur, etsi sint inimemorales & jurejurando confirmatæ. *c. 1. de Consuet. in 6. Vent. de Valentis in parth. litig. l. 1. c. 13. n. 2.* Pro tali communiter haberi solet, 1.) consuetudo, juxta quam Magistratus bona furtiva apud furem deprehensa retinere solet. *Const. Cr. Car. art. 218.* ibique Blumblacher. 2.) quæ bona naufragio amissa Magistratui vindicari permittit, quod alias vocari solet: *Strand-Recht.* conf. *Besold. & Wehner sub voce Strand-Recht.* 3.) Probatio per aquam frigi-

Item quod sit rationabilis.
Exempla quædam consuetudum irrationabilis.

frigidam, aut per ferrum candens. 4.) Inter opifices, per quam, quod ab uno coeptum, ab alio perfici nequit. 5.) Quando ex cruentatione vel effusione sanguinis ex cadavere occisi, præfente accusato, delictum ab accusato commissum, probare volunt, quod vulgo vocatur: das Baar-Recht. Plures consuetudines irrationabiles vid. in *Dissertat. Eichelii de pravis & irrationabilibus Consuetudinibus.* conf. Pet. Müller ad Struv. *Tit. de LL. §. 20. lit. (d)* & Ventura de Valentii in *parthenio litigios. l. 1. c. 11. & 13. n. 2. seqq.*

§. XIII.

Requiritur etiam
diuturnitas tem-
poris,

Denique etiam requiritur diuturnitas temporis, seu ut alii malunt: legitima præscriptio §. 9. *J. de J. N. G. & C. & L. 35. ff. de LL.* Mynsinger. in *Cent. VI. obs. 41. §. 9.* putat: in Consuetudine, quæ vel præter vel contra legem sit, sufficere decem annos, hancque opinionem tamquam communem ex ibidem allegatis autoribus hæc ratione probat: Quia lex consuetudinem longam appellet, longum autem & diuturnum in Jure nostro decem annis concludi. Sed fateri verum liceat, hæc ratio mihi non satis congrua est; cum enim incertum sit, nec tempore definiri possit, an populus, vel quando tacite consenserit, etiam non determinari potest, quando tempus præscriptionis incipiat vel finiatur; Potius & tutius itaque dicemus hac in causa judicis arbitrio locum esse. conf. Menoch. *de arbitr. Jud. quest. Cas. 83.* Et hæc opinio tamquam verior tam de Jure Ciuili, quam Canonico obtinet. arg. *C. 1. X. de nov. op. nunc. Frid. Martin. part. 2. sing. ad tit. de Consuetud.*

§. XIV.

Quod si modo tradita consuetudinis definitio & requisita

quisita penitus considerentur, statim sese offerent duae illius divisiones, magnum Dissertationi huic allaturæ momentum. Aut enim consuetudo quædam in tota aliqua Provincia inducitur, aut saltem in certo loco aut Civitate, hinc prior appellatur Universalis, posterior particularis sive localis.

Divisio Consuetudinis in universalem & particularem.

§. XV.

Porro consuetudinis introductæ membra etiam dupliciter inter se considerari potuerunt, vel quatenus inter se non litigant, vel quatenus litigant, & ita arbitrio Judicis disensum suum dijudicandum relinquunt. Ind duplex hic respectus parit distinctionem inter Judicialem, quæ consistit & perficitur ex factis alienis, à Judice scilicet proficiscentibus, & extrajudicialem, quæ nascitur ex factis populi propriis; hanc Consuetudinem in specie sic dictam, illam verò *κατ' ἐξουσίαν* observantiam nominare placuit.

In Judicialem & Extrajudicialem.

§. XVI.

Præmissis itaque hisce generalibus, positisque fundamentis nunc tandem propius accedam ad ipsam Dissertationis meæ intentionem, primumque membrum prius probandum suscipiam, quod nempe sententia contra consuetudinem in specie sic dictam, lata de Jure sit annullanda.

Probatur nullitas de primo Disp. membro nempe consuetudine.

§. XVII.

Tota autem res, si penitus spectetur, solum in sequentibus hisce duabus quæstionibus sese resolvit, an sc. i.) Consuetudo sit Juris species & qualis? & 2.) an Consuetudo possit abrogare Legem, quæ si fuerint salvæ, etiam meum Thema Disputatorium omnino erit salvum,

Dux quæstiones proponuntur decidendæ.

B

& ex

& ex paritate rationis, sicut sententia contra expressas, ita quæ contra tacitas leges lata, erit ipso Jure nulla.

§. XVIII.

Consuetudo est Jus non scriptum & quidem duplici respectu.

Quod primam attinet, commune omnium Doctorum est assertum, Consuetudinem esse speciem Juris, & quidem non scripti. Jus autem non scriptum duplici respectu dici potest, vel 1.) oppositivè ad Jus illud, quod ita ferri & promulgari consueverat, ut protinus in tabulis scriberetur, & publicè ad cujuslibet lectionem proponeretur per *L. 2. §. 2. de Orig. Jur.* quæ LL. curiatæ olim vocatæ sunt; vel etiam 2.) oppositive ad omnes juris scripti species, sive illæ in scripturam sint redactæ, sive non, quo sensu proprie Jus, quod moribus & tacito consensu receptum est, indigitatur. conf. *Treutl. vol. 1. Disp. 2. th. 9. Petr. Müller ad Struvium Tit. de LL. §. 18. lit. (a)* & quoad rem nihil aliud est, quam ipsa consuetudo.

§. XIX.

Consuetudo etiam in statu Monarchico aut Aristocratico non solo Popolari introduci potest.

Quemadmodum igitur Leges, quæ expressa Legislatoris voluntate ac consensu constant ac solemniter promulgatæ sunt, puto scriptæ, omnibus in Jure nostro Civili proditis effectibus gaudent; Ita & similiter illæ, quæ tacito illius consensu per diuturnum usum introducuntur; cum juxta consuetam regulam: taciti non minor sit virtus ac expressæ. arg. *L. 3. C. de Rebus cred.* sola namque hæc est inter illas differentia, quod illæ expresso jussu constant: hæ vero ex tacito summæ potestatis consensu vim Juris habent, sive illa sit apud unum, sive optimates sive universum populum; Inde male sentiunt plurimi moti per *L. 32. §. 1. de LL.* qui sibi persuadent, tantum in statu

tu populari consuetudinem locum habere posse. Quod si enim tacito populi consensu, penes quem summa rerum potestas versatur, consuetudo propriè sic dicta potest introduci; quidni & idem fieri posset in statu aut Monarchico aut Aristocratico, si de tacita summi Imperantis aut Optimatum propriam consuetudinem constituentium, voluntate, satis ac abunde constet.

§. XX.

Cum itaque ex hætenus allatis satis ac abunde liquet, quod Jus non scriptum & per consequens consuetudo pari cum Legibus scriptis effectu gaudeat, non erit difficile, alteram nunc quæstionem: An nimirum Consuetudo possit Legem abrogare, decidere, & pro affirmativa argumenta proferre, cum notissimum legem à lege posse abrogari.

Qu. an Consuetudo possit Legem abrogare?

§. XXI.

Huc etiam facit, & mirificè hanc quæstionem in terminis terminantibus decidit, *L. de quibus. 32. ff. de LL.* Quod sc. ejus sit Legem tollere, cujus condere; Cum igitur, penes quem summa potestas versatur, possit Legem ferre, cur non etiam abrogare. Abrogatio autem illa dupliciter accidit, vel expresse vel tacite. Expresse, quando expressa voluntate legem priorem antiquat, novamque priori contrariam constituit. Quandoquidem vero unum idemque sit, suffragio sive consensu expresso Legislator suam sententiam declaret, an rebus ipsis & factis, h. e. tacito consensu, quis non videt, quod necesse tali tacito consensu priori legi contrario, ista abrogetur atque penitus tollatur. Hinc consuetudo etiam dicitur legem imitari in *§. 9. Inst. de J. N. G. & C. pro lege custodiri, legem abrogare in d. l. 32. de LL.*

B 2

XXII. Sed

§. XXII.

Explicatur lex
obstans 2. C.
quæ sit longa
consuetudo.

Sed huic meo Afferro ac allegatæ L. 32. ff. de LL. gra-
viter obstare videtur, L. 2. C. quæ sit long. consuetud. ubi ex-
presse dicitur: *Consuetudinis quidem non vilem esse Auctori-
tatem, sed non adeo sui valituram momento, ut Legem vel ra-
tionem vincat.* Exempla etiam occurrunt in Recessibus
Imperii, in quibus aliquando dicitur: Quod Consuetu-
do contraria non debeat derogare legi: Aliter enim Con-
nanus in *Comment. Jur. Civ. lib. 1. comm. 10. num. 9.* & post
eum Anton. Faber. ad alleg. L. 32. de LL. aliter Duarenus
ad L. 9. ff. de LL. quem secutus est Bachovius in *notis &
animadvers. ad Treutl. disputat. disp. 1. th. 9. lit. B. vol. 1.* ali-
ter alii, ut videre est ap. Franzkium in *Exerc. 1. quest. 9.
§. 4. -- 10.* Ego ita sentio, alleg. L. 2. C. quæ sit long. Con-
suet. plane non obstare, cum omninò verissimum con-
suetudinem non vincere legem, uti nec Lex Consuetu-
dinem per expr. text. 2. Feud. 1. in pr. ut nimirum alia sit
fortior altera; Consuetudo enim etiam lex est, quæ le-
gem sc. scriptam in omnibus imitatur, dicitur enim nihil
interesse in d. l. 32. & Consuetudo non minus servatur,
quam Lex. L. 35. eod. Unde apparet magna inter illas
convenientia; pares enim utriusque sunt causæ, ergo
pares effectus. Ut igitur lex anterior à posteriore lege
aboleatur; ita & à consuetudine, non quod consuetudo
fortior sit lege, sed quia posterior. Nam & lex posterior
priorem consuetudinem æque tolleret, & tamen non ma-
jorem vim habet consuetudine, sed utique æqualem.
Conf. Tim. Fabr. *disput. annivers. 2. th. 2.*

§. XXIII.

Alia obiectio
solvitur,

Aliam obiectioem facit, non penitus negligem-
dam, Franc. Suarez in *Tr. de LL. lib. 7. c. 18. n. 25.* ubi

ex

ex cap. ult. X. de Consuet. dicit, quod ista consuetudo non valeat, quæ non sit rationabilis; Consuetudinem autem, quæ sit contra Leges non esse rationabilem, quia eo ipso, quo est contra legem, est contra rationem, quippe quæ est rationabilis. Sed Franzkius alleg. loc. n. 12. eleganter ad hæc respondet: Quod scilicet utique Jus Civile in se sit satis rationabile, non tamen necessario, sed in tantum, quatenus Statui Reipublicæ conveniens est. Si itaque Consuetudo inveniatur, quæ sub aliis respectibus Reipublicæ magis utilis magisque honesta sit, cur non præferenda sit legi priori in consideratione erga hanc vel illam Rempubl. cum tamen multo rationabilior sit in applicatione.

§. XXIV.

Priusquam autem Consuetudo, secundum sua legi-
 tima hæctenus recensita requisita, Juris effectum, & præ-
 cipue nullitatis, quando nimirum iudex sententiam con-
 fuerudini & observantiæ contrariam tulerit, obtinere
 possit, necessè est omnino, ut Actor aut Reus, qui re-
 medio nullitatis contra talem sententiam uti vult, prius
 legitime eam probandam in se suscipiat; Introductio
 enim Consuetudinis est res facti, quæ omnino ab alle-
 gante probanda, licet consuetudo, de qua constet esse in-
 troductam, sit jus, alias succumbet, nisi Consuetudo sit
 notoria, quæ non probanda, bene tamen alleganda.
 Conf. Gail. Lib. 2. Obs. 31. n. 18. Probari autem potest
 per testes ad minimum duos maxime si sint senes, depo-
 nentes, consuetudinem hanc vel illam semper esse obser-
 vatam, idemque à majoribus suis audivisse. Tutius ta-
 men est, si plures haberi possint, ut producantur per tra-
 dita Coleri de processu execut. p. 1. c. 3. n. 34. & Mascardi d.

Consuetudo de-
 bet ab allegante
 probari, & quo-
 modo?

B 3

Probat.

Probat. l. 1. concl. 423. n. 33. Unius enim depositio etiam nec allegantis juramento suppleri potest, nisi forte consuetudo sit valde antiqua, alibique locorum recepta & usurpata, quia secundum Mascardum tunc esset probabilis ignorantia illius consuetudinis, ut ad eam probandam unus testis, & juramentum partis admitti possit, *in Concl. 434. n. 23. seqq.* Testes autem quoque in tempore & actuum identitate convenire debent: alias si de diversis actibus deponerent, tanquam singulares fidem non facerent, *Myns. Cent. 6. obs. 42. Gail. L. 2. Obs. 31. n. 16.* hoc tamen ita intelligendum, si sc. subsit varietas in re ipsa aut consuetudine; licet enim pro causa scientiæ unus afferat hunc, alius alium actum, hoc dicta tamen testium non subverteret, modo conveniant in eo, quod aliquid fuerit frequentatum; Genus enim per diversas species potest declarari. Porro consuetudo probatur per Attestationes, sive Scripturas Magistratum, item instrumenta publica & Res judicatas. *per cap. 7. X. de prob.* quia talia Instrumenta sunt probatae probationes, non demum probandae. *Zas. ad L. 32. d. LL. si scilicet ex Archivo publico fuerint extractæ.* Quid verò sentiendum de Instrumentis Notariorum, quae etiam publicis annumerantur, utrum duo vel plura ad sufficientem Consuetudinis probationem sufficiant, eleganter demonstrat *Petr. Müller ad Struv. Tit. de LL. §. 21. lit. (e)* & Judicis prudentis arbitrio relinquit, qui circumspicere attendat, an & in quantum talia Instrumenta in hoc passu valere queant.

§. XXV.

Ex haecenus allatis fit Conclusio.

Proinde, ut ad Institutum redeam, ex haecenus in tota hac Dissertatione Inaugurali allatis, vera ac firmissima
ma

ma hæc est conclusio, Consuetudines ac observantias rationabiles in omnibus judiciis accuratissime esse attendendas ac observandas: in tantum ut sententia adversus observantiam legitime talem introductam ac probatam Consuetudinem lata, sit ipso jure nulla, æque ac si contra legem esset lata. Menoch. *L. 2. pres. 8. n. 18.* Gail. *de pignorat. C. 13. num. fin.* & insuper Judex contra talem Jus, item suam perinde faciat, ac si contra Jus Commune pronunciaisset, per textum in *L. 1. C. de servit. & aqua. & in cap. venientes. X. de Jurej.* ac in Syndicatu tenetur, conf. Gail. *L. 1. O. 36. n. 12. & seqq. & L. 2. O. 31. n. 2.* ex ratione, quia consuetudo est Jus, & in illis locis, ubi viget, Juris Civilis & Communis appellatione notatur, Jurisque vim habet imò etiam Juri Communi præferendæ.

§. XXVI.

Inde etiam consuevit in Camerali & Aulico Judicio, ut is qui in numerum Assessorum Cameræ Imperialis recipiatur, jurare debeat: Quod secudum Imperii Constitutiones, secundum Jus Commune & *laudabiles locorum consuetudines*, nach des Reichs gemeinen Rechten -- -- Ländischen Ordnungen, Statuten, und redlichen ehrbaren Gewohnheiten der Fürstenthümer, Herrschaften und Gericht (die für sie gebracht werden) judicare & per consequens in decernendis processibus, Decisionibus Casuarum, tenaciter servare velint, *O. C. P. 1. tit. 13. §. 1. & tit. 57.* Quod regulariter in omnibus omnium locorum judiciis receptum, adeò, ut nullibi dubitandum, quod non in casu, ubi sententia contra Consuetudinem & Observantiam lata, quærela nullitatis optimo jure atque successu locum habeat.

Assessores Cameræ jurare debent, se in judicando Consuetudinem velle attendere.

§. XXVII.

§. XXVII.

Haecenus dicta
de Consuetudine
merito observan-
tia applicantur,

Ea quæ hæcenus dixi, secundo hujus dissertationis membro nempe, observantia optime possunt applicari. Equidem non ignoro, vocabulum observantiaè communiter aliter solere accipi, & sub ea alias sic dicta præjudicia intelligi, neque nescius sum, quod in hoc sensu sumpta, observantia regulariter nullum habeat Juris effectum, multo minus verò illius in sententionando transgressio nullitatem aliquam involvat. Ast cum jam superius Observantiam per consuetudinem alias sic dictam Judicialem definiverim, quilibet videre potest, me eo ipso, quo consuetudinem dico, nullatenus Præjudicia saltem judiciorum simpliciter talia, quippe nullum Jus, nullam obligationem ex se involventia, ut scilicet præcise Judex in judicando illa attendere debeat, intelligere voluisse, sed potius observantiam, consuetudinem in Judiciis legitime inveteratam, omnibusque ejus hæcenus requisitis necessariis, & plane essentialibus munitam, & postmodum effectibus juridicis gaudentem.

§. XXVIII.

Ad observantiam
plura præjudicia
pertinent.

Judex enim, cum vel à Populo, vel à Superiore electus sit, illum etiam in judicialibus repræsentat, & factum ejus legitimum, cui non reclamatur, censetur populi aut Superioris factum interpretativè quoad consensum. conf. Zasius ad *L. 32. ff. d. LL.* Quemadmodum verò nec in extrajudiciali Consuetudine unicum saltem factum sufficiat, ita nec in Judiciali sive observantia unum aut duo Præjudicia, sed ex frequenti atque continua illorum repetitione tandem consuetudo seu observantia oritur, quæ si fuerit legitimo tempore præscripta, omni-

omnino tacitum Jus nascetur, cujus transgressio nullitatem involvit. Conf. Treutlerus *Vol. 1. Diss. 1. Thef. 9. lit. a.*

XXIX.

Porro tanquam necessarium requisitum observantiae non omittendum, quod talis in Judicio contradictorio debeat confirmari, hoc est: debet pronunciari: esse observantiam, recte monente Mascardo *de Prob. Vol. 1. Concl. 427. n. 1. per L. 34. & 38. ff. de LL. conf. Colleg. Argent. Rel. 91. n. 3.* Si enim omni tempore, in omnibus Collegiis in argumentis valde dubiis, in unam eandemque sententiam fuerit pronunciatum, neque etiam in alteram partem rationes & argumenta Legum praevalent, quis dubitabit, quod talis Observantia Legis instar sit habenda, si praecipue adhuc in Judicio Contradictorio fuit obtenta.

Ad Observantiam etiam pertinet, ut sit in Judicio contradictorio confirmata.

§. XXX.

Inde ex se liquet, quod non singulorum Juridicorum Collegiorum Observantiae, quae potius pro praedictis singulis habenda, vim juris habeant, aut illarum a Judice facta transgressio nullitatem sententiae involvant, bene tamen ac consulte Judices faciant, si in Judicando illas attendant, nisi praegnantia adsint in contrarium rationes. Hinc etiam Imperator ac Imperii ordines in *Rec. Imp. de Anno 1570. §. 77.* Camerae Imperialis Assessores praecerunt, ut sententias in Controversis Casibus latas sedulo colligant, & in judicando illas attendant; verba autem ita se habent: Daneben auch diejenige Opiniones, so bey denen Rechts-Gelehrten ganz streitig, und aber etwa in relationibus causarum mit Approbation

Non quilibet observantia Judiciorum vim legis habet.

C

anges

angenommen, mit Fleiß colligiren, solches alles in ein beson-
der Protocoll-Buch &c. nur per modum Conclusionis
beschreiben lassen, und in die Mannzische Cansley durch uns
auf nechst fünffzig Rechts-Versammlung auch Rath und
Gut-Achten gemeiner Stände publiciren zu lassen, schriftlich
überschicken. Gleichwohl sollen Cammer-Richter und Besizer
inmittest solche verglichene Punkten in decernendo Pro-
cessus & deciden-do causas sich gemäß verhalten. Add.
Ord. Jud. Aul. c. 5. §. 23. Tantum de observantia.

§. XXXI.

Nunc de Stylo
Curia.

Præquam finem imponam huic meæ Elabora-
tioni, Coronidis loco, necessarium existimavi, etiam de
tertia Dissertationis hujus Inauguralis parte, nempe de
Stylo Curiaë pauca quædam disserere, & etiam, quod ex
hoc à Judice neglecto profluat sententiæ nullitas, demon-
strare.

§. XXXII.

Defin. Styli
Curia.

Stylus Curiaë autem nihil aliud est, quam forma
aliqua, aut præscripta, aut diuturno usu & praxi in Judi-
ciis inveterata, qua ratione sc. processus ratione forma-
lium recte institui, acta judiciaria ac sententia bene for-
mari debeant, arg. *L. 1. C. de SS. Ecclesiis*, & hoc sensu
etiam vulgatum illud percipiendum: Stylum Curiaë
pro lege haberi. per *L. 1. C. quand. provoc. non est necessum.*
conf. *Treutl. vol. 1. disp. 12. th. 16. & vol. 1. disp. 1. th. 9.*
in f. & Gail. L. 1. Obs. 65. n. 7. 8. Hic nonnisi actibus
judicialibus inducitur, & ut plurimum per consuetudi-
nem, quæ ordinem & modum particularem in Judicio
procedendi observandum determinat, etiam definiri so-
let. in *L. 12. §. 5. C. de Reb. Cred.* appellatur Observatio
Judi-

Judicialis, & in *L. 4. C. de Sentent. & Interloc.* Solitus Judicialiorum ordo. conf. Menoch. *l. 2. praf. 8. n. 3. feqq.*

§. XXXIII.

Quemadmodum igitur omnes in Jure nostro Civili certis actibus præscriptæ solennitates, si fuerint omiffæ, Nullitatem involvant, v. gr. In Testamentis omiffio septem testium &c. Ita & illæ, quæ processui dirigendo sunt præscriptæ, vitia, sententiam, quæ præter aut contra solennem stylum Curiaë sunt latae, & ipso jure reddunt nullam. Legis enim instar est, & vim habet. *L. 2. C. de Testam. quemad. aper. L. f. C. de Injur. conf. Pannormitan. in C. ex literis. n. 6. feqq. X. de Constitut. Mevius in Consil. Conf. 7. n. 8. & Conf. 51. n. 29.* Et Judex, qui ita judicavit, judicandi potestate omnino caruit, quia contra modum pronuntiandi præscriptum egit, *L. 4. C. quando provoc. non est nec. Mevius Part. III. Def. 231. num. 1.* Ita quando v. gr. Judex acta ad Collegium Jctorum pro sententia concipienda ex lege transmittere debuisset, eo vero omiffio judicasset, nulliter sine dubio judicavit juxta allegatam *l. 4. C. quando provoc. non est nec. & l. 7. ff. de Confessis. Mev. Consil. 51. n. 29.*

Sententia contra Stylum Curiaë lata æque nulla est, ac quæ contra consuetudinem & Observant.

§. XXXIV.

Plura quidem, tam ratione consuetudinis, quam observantiæ ac Styli Curiaë à me addi potuissent, nisi penuria temporis me filum nunc abrumpere coëgisset, cæterum tamen si DEVS imposterum Otia ac Vires concefferit, plura hac de re conscripturus, & ea quæ ulterius mihi circa hanc in praxi quotidie versatissimam materiam in mentem venient, cum Benevolo Lectori communicaturus sum.

Conclusio.

T A N T U M

C 2

PRAE-

PRAENOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME
 DOMINE CANDIDATE,
 AMICE HONORATISSIME
 PARITER AC AESTIMATISSIME.

*Non omnes heroum filios noxas esse, sed ple-
 rumque fortibus & bonis fortes atque bo-
 nos procreari, luculentissimo probavisti exem-
 plo, Pereximie DN. CANDIDATE, ex eo
 tempore, quo celeberrima Eberhardina Te bonis
 artibus & solidis praecipue Jurisprudentiae re-
 gulis optime instructum ad nostram misit No-
 ricam Musarum sedem, ubi tanta alacritate
 tantaque diligentia opus, quod peragere Tibi
 proposueras, Jurisprudentiae scilicet studium,
 feliciter perfecisti, ut non solum illustris Fri-
 dericiana publicum eruditionis Tuae specimen
 publico praeconio praedicauerit; sed nunc etiam
 iterata vice Noricus Helicon Te post peracta iti-
 nera, & visis Magnatum aulis, quo scilicet
 condimentum literarum, politiores mores cum
 eru-*

eruditione conjungeres, felici omine eum in finem susceperit, ut merita Tibi studiorum praemia tribueret. Applaudo rei feliciter gestae, Doctissime Domine CANDIDATE, quod morem Romanorum veterem imitatus prius virtutum templum penetrare volueris, antequam ostia salutare templi honoris, unde etiam fit, ut non debeas sequi honorem, sed ipse tuam sequatur virtutem. Augeat DEUS primordia honorum Tuorum amplioribus dignitatum gradibus, ut aliquando patriae praesidium, Tuorum solatium, & insigne literarum ornamentum lauderis. Ita Splendidissimi PARENTIS Tui vota non implebis tantum, sed et superabis, et Hartmannorum nominis famam jam orbi eruditorum celebratam posteritati reddes immortalem. Vale. Dab. Altorfl d. 27. Jun. A. 1727.

G. H. Lindt / D.
 Jur. Prof. Publ. Ord.
 & Facultat. Jurid. Al-
 torfin. Assessor.

C 3

Egre-

Egregium exarat specimen, defendit et illud
 HARTMANNVS, cathedram laudis honore pre-
 mens.

Applaudit Studiis *Academia*: Patria certe
 Culto adeo civi proemia digna dabit.

Prae-Nobilissimo Clarissimoque
 DN. CANDIDATO,
Fautori et Amico suo sibi semper
aestumatisimo,
memoriam sui etiam atque etiam
commendaturus,
hoc, qualesunque, integerrimae amicitiae
monumentum,
gratulationis ergo,

p.

IOHANNES CAROLVS BEHEIM.

Per-Illustris Reip. Norimbergensis
 Alumnorum et Oeconomiae in
 Academia Altorfina Inspector.

Contra rigorem *Juris sententia lata*
Vel si legitimus deficit ordo datus,
Processus nullus, sententia Judicis aequae
Propter defectum nulla, valere nequit
Id TVA scripta docent, HARTMANNE quaeque medela
Conatu extremo, partibus esse solent.

Hæc Prænobilissimo DN. CANDIDATO
 gratulabundus adjecit

IOAN. GEORG MILLER, Ulm.

Opp.

Nulli

NVlli diua Themis, quisquis delubra sacratae
 Iusticiae quaerit, praemia digna negat.
 Sudandum est equidem: nimios uult palma labores:
 Nec nisi certantem laurea pulcra manet.
 Virtus alta uias ad templum monstrat honoris,
 In quo perpetua nomina laude uiuent.
Quis non continuo uigilanti mente reuoluat
 Quid fas, quidue sibi iura uerenda uelint?
 Tanta sitibundis ueniunt Cultoribus aequi
 Munera uirtutum, gloria tanta uenit!
 Nunc **T V**, qui studio tractasti iura, laborum
 Praemia tantorum, **D V L C I S A M I C E**, cupis.
 Iam, quidnam ualeant humeri, quid strenua possit
 Virtus, ingenii dant monumenta **T V I**.
 Surgis et ex alto defendis limine leges.
 Iusticiae: plausus fert ueneranda Themis.
Quid non perpetuo mactarem munere laudum
 Ingenii dotes, **D V L C I S A M I C E**, **T V A S**.
T E nunc alta manent Virtutum nomina: fructus
 Foenore maturos uberiore metes.

*Hiscæ Praenobilissimo pariter ac Doctissimo
 DOMINO CANDIDATO, Amico suo
 aestimatissimo de Honoribus Doctora-
 libus gratulari, simulque memoriam
 suam commendare uoluit*

ERNESTVS PHILIPP. FEIN,
 March. Durlacens.
 Opp.

Die

Die Tugend, welche nur bey Ruhm und Ehre thront,
 Hat Dir, Hochwehrtester! Dein eiffriges Bemühen
 Und Deinen edlen Fleiß aufs trefflichste belohnt,
 Indem sie Dir die Ehr der DOCTOR-Würd verliehen.
 Sie wird inskünftig Dir noch Ehren-Lorbeer streuen,
 Auch Dich, so lang Du lebst, mit Ruhm und mit Vergnügen,
 Und mit so grossem Glück, als Du verdient erfreuen,
 Der Himmel wolle selbst hierzu sein Ja-Wort fügen.

Mit diesen wenigen Zeilen wollte
 dem Herrn DOCTORANDEN
 ergebenst gratuliren

Johann Wilhelm von der Lich. Opp.

*D*um HARTMANNE TIBI confert Academia nostra
 ingenii curis munera parta tui:
 haec sunt exhausti noctes diesque laboris
 premia, sunt studii certa trophaea tui.
 Hinc merito cuncti mittunt TIBI prospera vota,
 ut TIBI per vitam premia fausta sient.


Id quod Prænobilissimi atque Doctissimi
 DN. DOCTORANDI Fautoris
 atque amici suavissimi honoribus
 dabat

IO. FR. SOMMER.
 M. C. Hoenloicus.



Altdorf, Diss., 1727
X 238 91.90







Q. D. B. V. 2 12-
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICAE
DE
1727, 2
NULLITATE SENTENTIAE
CONTRA CONSVETVDINEM
OBSERVANTIAM AC STY-
LVM CVRIAE LATAE,
QVAM
ANNVENTE
NVMINIS DIVINI GRATIA
AC
MAGNIFICI
IUCTORVM ORDINIS
AVTORITATE
IN
INCLVTA NORICORVM VNIVERSITATE
PRO
CONSEQVENDIS SVMMIS IN VTROQVE
IURE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
AD D. XXVII. IVNII ANNO MDCCXXVII.
H. L. Q. C.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
JOANNES FRIDERICVS HARTMANN
HALA-SVEVVS.

ALTOREI. TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERI.